

QVÆSTIO IV.

An Ecclesia super Petrum fundata?

ITa τὸ ἔκ καὶ λαΐς decertant omnes Pontificii maximumque sententia suæ præsidium in voce [ἀυ]η ponunt, asserentes, hoc pronomen *non demonstrativè*, sed *relativè* sumendum esse, perinde ac si dixeret Dominus: *Tu es Petra, super quam edificabo Ecclesiam meam.* Consentit Camero in Myrothecio Evangelico; Ostorodus instit: c. 42. Smalzius contra Franzium. Nos negativam probamus seqq. rationibus [1] Quia Petrus statim ab h. l. vocatur à Christo *Satan*: Quod si itaq; Christus edificasset Ecclesiam suam super personam Petri, annon diceretur eam edificasse super satanam? (2) quia Petrus ἀνὴρ ἀμαρτωλὸς Luc. V. 8. ὀλιγόπιστος Matth. XIV. 31. & *Abnegator* Domini sui erat, Matth. XXVI. quique etiam post acceptum Spiritum *suas imbecillitates* habuit. Gal. II. 14. quomodo igitur tam imbecillis posset ædificium sustinere? (3) *Pronomen demonstrativum* non semper dependere à proximè antecedente, siquidem hoc Relativorum proprium; ostendere præsentem rem, licet illa in præcedentibus non sit posita, sed subintellecã. Aliud est pronomen relativum, aliud Particula demonstrativa, rectè inquit Casaubonus exerc. XV. Ne dicamus de Jobi I, 21. Psal. XXXVI, 13. Exemplum habemus Joh. VI 49 50 Ubi pronomen demonstrativum non Manna, sed ipsum Christum ostendit, velut explicat. v. 51. *Ego sum panis vivus*, adeoque demonstrativum non ad antecedens, sed ad aliud refertur. Sic Act. IV. v. 11 ἄτθ, *ipse est lapis*, ipse scil. Christus, cujus mentio v. 10. habetur. Sic c. VII, 19, 38. c. IX, 22. Nam in omnibus lingvis pronomina demonstrativa elegantissimè interdum accipiuntur de loquentis personâ. Ita Comicus: *Tu si hic sis aliter senties.* Hic ὁ ἀνὴρ, *hic vir i. e. Ego.* Conf. Joh. 2. v. 19. Verisimile est Christum, cum ibi vocem hanc τὸν pronuntiavit, suummet ipsiq; corpus indicasse vel palma pectus percutiendo vel alio gestu; Ita qq. hoc in loco, *super hanc Petram i. e. super me* Domino semetipsum denotante & vocem gestu adjuvante. Confer Johann. II. 19. c. IV. 14. Quod itidem observarant *Divi Patres, Basilii, Nazianzenus, Theodoretus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius,*